

dem ad pugnam Sforcia compelli potuerit. Apud quosdam 1451
reperio, Sforciam composito exercitu in medium dimica-
turum venisse; sed quum interim ingens pluvia coorta es-
set, aliquanto ante, quam Venetus in apertum venisset,
se in castra recepisse. Id propius vero est, quam illud,
quod quidam annales habent, non ausum eum acie dimi-
care, aperte pugnam detrectasse. Quod si sic esset, non
possem non mirari martium ducem, qui totiens collatis si-
gnis ac per occasionem prospere in hostem depugnasset;
quem etiam si quis ex iis, quos nostra norunt sæcula, vi-
gore animi, successu, dextroque (ut sic dicam) genio Cæ-
sari Dictatori comparandus aliquo modo esset, unum cer-
te, aut nullum alium novimus, quem meo iudicio tanto
viro comparare possimus: ita demum remisso animo post
summum principatum ademptum militaria munera obivis-
se, ut quum florentissimas haberet copias, tot viros for-
tes, nulla adhuc maiore clade accepta, convicio etiam la-
cessitus, acie dimicare noluerit. Sed fortunæ fortassis mu-
tationem veritus, cunctantior ad pugnam fuerat factus:
quod ingravescente ætate in eo quoque, cuius modo men-
tionem feci, evenisse constat, qui post amplissimas victo-
rias, non eo ardore, quo prius pugnassee dicitur. Potuit
& novus principatus esse in causa: quem undique hostibus
circumventum in summum discrimen adduci posse videbat,
si aliquo maiore prælio victus esset. Sed quæcunque fuit
causa, ita evenisse ajunt, ut sine certamine ullo in hyber-
na sit concessum. Post ejus digressum aliqua oppida ex iis
quæ ille æstate prius, inde autumno occuparat, Veneti du-
ces receperunt. Hybernorum tempore Tybertus Brandoli-
nus ad Sforciam transiit. Collio, vel (ut alii tradunt) 1452
Alexander Sforcia frater præsidium, quod ad Carretum
Veneti erexerant, repente aggressus prodicione in suam po-
testatem redegit. Inde in Monferratensem hostem iussus
movit, a quo impedimentis ac parte copiarum exutus, fu-
gienti similis in castra rediit. Veneti & ipsi minime in ocio
fuere; sed ex hybernis digressi, in Mantuanos fines irrupe-
runt: Striveriis captis ac direptis, ingentem inde prædam